



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 3. Vtrum solius baptismi sit proprium vt eius effectus redeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Baptismus & Pœnitentia simul naturam gratiam conferunt.

Respondeo, Vtrumque simul naturam, tanquam duæ partiales causæ constituentes vnâ integrâ, conferunt totam gratiam, & delent omnia peccata. Ratio est, Quia operantur cum mutua dependentia & auxilio. Sicut si tu possis pondus ducentarum librarum mouere, ego verò pondus centum, & hæc duo pondera sint connexa, neuter sine altero poterit: vtroque tamen connitente, totum pondus, veluti ab vna integrâ & adæquata causa mouebitur. Sic Baptismus per se non potest, nisi tantam gratiam dare, & delere peccata ante ipsam commissâ: Pœnitentiâ verò tantam, & delere peccata post baptismum commissâ. Hæc autem peccata in illo homine sunt connexa, ita vt vnâ sine altero tolli nequeat. Quare oportet vtrumque Sacramentum concurrere, & vicissim se iuuare, ac proinde simul naturam operari. Nam vbi est mutua dependentia, ibi non est natura prioritas, sed similtas.

Dices, Prius est impedimentum tolli, quam baptismum operari: sed impedimentum baptismi est peccatum commissum in susceptione, vel post: ergo hoc peccatum debet tolli prius, quam baptismus operetur: ac proinde operatio Pœnitentiæ, qua tollitur hoc peccatum, erit prior.

Respondeo, Remotio impedimenti non est prior, quam operatio rei impeditæ, quando impedimentum remouetur per cooperationem circa rem connexam; vt patet in duobus mouentibus illud pondus; nam vicissim sibi cooperando tollunt impedimentum mutue operationis. Sedes est, quando remotio impedimenti fit per actionem præuiam, & circa rem omnino distinctam: tunc enim remotio impedimenti est prior naturam, quam operatio rei impeditæ.

Dico Secundò, Si nec in ipsa susceptione baptismi, nec postea commissum sit peccatum mortale; tamen baptismus irritò effectu susceptus sit, eo quod necessaria dispositio deesset, sufficet attritio vt baptismus gratiam & reliquos omnes effectus suos cõferat. Docet Paludanus dist. 4. q. 5. & Scotus ibidem. Durandus qu. 4.

Probatum Primò, Quia attritio ista satis fuisse ad effectum baptismi, si simul cum baptismo extitisset: ergo etiã sufficet quauis postea superueniat; quia nullum nouum impedimentum accessit. Probatum Secundò, Quia omnia peccata huius hominis directè per baptismum possunt remitti, cū omnia sint facta ante baptismum: ergo nõ necessariò requirunt aliquid aliud quam dispositionem, quæ sufficit baptismi, quæ est attritio. Et Confirmatur, Quia hæc peccata non requirunt Sacramentum Pœnitentiæ: materia enim Sacramenti Pœnitentiæ solum sunt peccata commissâ post baptismum, vt docet Concil. Trident. sess. 14. cap. 1. 2. & 5. Neque etiam requirunt contritionem, quæ contritio in noua lege non delet peccatum mortiferum, nisi quatenus continet votum alicuius Sacramenti; quod votum non potest hic habere locum, quia deberet respicere Sacramentum Pœnitentiæ, quod non se extendit ad peccata ante baptismum commissâ. Probatum Tertio, allata ratione: Quia in hoc casu totum impedimentum

operationis baptismi est carentia dispositionis necessariæ: ergo simulatque hæc carentia fuerit sublata, operabitur baptismus: tollitur autem attritio: ergo attritio sufficit.

DVBIVM III.

Vtrum solius baptismi sit proprium, vt eius effectus redeat?

Respondeo, Probabilissimum est, id etiam commune esse alijs Sacramentis Characterè imprimentibus: quod est contra Dominici Soto dist. 6. qu. 1. art. 8. qui id putat esse solius baptismi. Sed nostram sententiam docet D. Thomas in 4. dist. 4. qu. 3. art. 2. quæstioncula 3. & Alexander, Bonauentura, Maior, Paludanus, & ferè recentiores. Probatum duplici ratione: Prima est D. Thomæ supra num. 15. relata, quæ si aliquid valet in Baptismo, etiam valet in Confirmatione, & Ordine. Secunda Ratio est: Nisi posset illa gratia recuperari, non bene prospectum esset hominibus in hac imbecillitate vitæ, quæ gratia faciliè amittitur. Quod patet, quia per hæc Sacramenta Confirmationis & Ordinis constituuntur homines in quodam statu immobili, ad quem opus habent gratia sacramentali: ergo nisi gratia, quæ datur ad huius status functiones, posset recuperari, manebit homo obligatus ad functiones sine gratia illis functionibus propria; quod non est cõsentaneum suauis prouidentia Dei.

Eodem argumento probari potest reuiuiscere etiam gratiam Sacramenti Matrimonij, quia hoc Sacramentum tribuit statum immobilem. Item extremae Vnctionis, quia hoc Sacramentum non potest repeti manente statu eiusdem morbi; cū tamen hæc gratia in illa extrema lucta fit tantoperè necessaria.

Idem faciliè probari potest de Pœnitentiâ, si hoc Sacramentum potest esse informe; id est, sine effectu, saluâ substantiâ. Probatum, quia non teneor peccatum mortiferum secundò confiteri, quod antea in confessione, etsi informi, explicui, vt omnes fatentur: ergo hoc peccatum non remittitur per sequentem absolutionem; alioquin in sequenti confessione fuisset explicandum: ergo remittitur per præcedentem, cuius effectus fuerat impeditus.

De Eucharistia res est magis incerta: est tamen satis probabile in quodam casu; scilicet, si quis in peccato communicauerit, & ante corruptionem specierum, pœnitentiam concipiat.

Ratio generalis est: Quia Sacramentum est opus Christi, ac proinde ex se est opus viuum & efficax gratiæ: ergo quamuis per fictionem possit quodammodo mortificari, sic vt eius effectus impediatur, tamen fictione recedente statim viuificatur, & suam efficaciam exerit, secundum quam in acceptatione diuina manfit. Sicut opera iustorum facta in statu gratiæ, etsi per peccatum superueniens possint quodammodo mortificari, ita vt eorum effectus impediatur, tamen peccato recedente, statim reuiuiscunt, habentque efficaciam respectu gratiæ & gloriæ.

21 Si nec in susceptione, nec post commissum est peccatum, sufficit attritio.

22 Reuiuiscens conuenit Sacramentis Characterem imprimentibus.

Item Matrimonio & extrema Vnctione.

Pœnitentiæ.

Eucharistia.

Ratio generalis.

QVÆ.